

72. Et profectò laborat τριτομίαι isthac gemino periculo ac incommodo: Nam 1. inde erroris sui ansam hauserunt ij, qui Bona opera ad salutem esse necessaria, docuerunt. Deinde, pie mentes in lucta fidei, ubi sæpissimè bonorum operum nulla prorsus est apparentia, succumbere necessum habebunt, si ea ad ipsam veræ Pœnitentiæ sive Conversionis substantiam, tanquam partem essentialem necessariò pertinere, edocti fuerint.

73. Repudiatâ igitur τριτομίαι ista, duas duntaxat Pœnitentiæ partes agnoscimus: & Novam obedientiam, fructum magis & consequens salutaris pœnitentiæ esse, statuimus: ita, ut convertendum ea non faciat aut perficiat, sed jam conversum, quasi umbra corpus necessariò subsequatur.

74. Quemadmodum hoc ipsum agnoscit nostra Confessio, dicens: Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

PARS II. ARTICVLI ANTIΘETIKH.

75. In classem τῶν ἐτεροδιδασκαλῶν πρῶτο loco collocat Confessio nostra Anabaptistas, negantes, semel justificatos posse amittere Spiritum

tum